



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio LXV. De adoratione debita Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

posse vocari substantialem, quia est inter substantias, & corporalem, quia est inter corpora. Sed primum non placet, quia inter substantias potest esse unio accidentalis; & quia valde improprè dicitur, esse substantialem unionem inter Christum & Ecclesiam, vel inter virum & uxorem: Secundum etiam non omnino probatur, quia inter Christum & Ioannem Baptistam, verbi gratia, vel alios iustos, qui fuerunt ante hoc Sacramentum est aliqua unio, quæ tantum est spiritualis, licet non tantum sit inter animas, sed etiam inter corpora; sicut enim possunt corpora spiritu informari, ita & spirituali nexu seu affectu uniri. Nihilominus tamen in bono sensu potest hæc unio corporalis dici, quia quodammodo fundatur in illa corporali permissione, seu susceptione Sacramenti; maxime tamen spiritualis est, quia & præcipuum vinculum eius est spirituale, & ipsa corporalis susceptio debet etiam spiritualiter fieri, id est, sanctè & dignè, vt hæc unio fiat. Vnde etiam dici potest hæc unio realis, & naturalis, sensu supra exposito, scilicet vt excludantur sola signa, & figure: & unio, quæ est per solam apprehensionem fidei, aut affectus. Propriè verò potest hæc unio vocari mystica, seu moralis, fundata aliquo modo in corporali vinculo, seu missione, huiusmodi enim est vnitas illa, quæ inter coniuges, per quam explicant hanc unionem prædicti Patres, & indicant etiam August. lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum, c. 9.

Augustinus

Alanus

Vnde non placet, quod Alanus & alij ex citatis authoribus dicunt, quando re ipsa non potest suscipi hoc sacramentum, ad perficiendum hanc unionem, sufficere, quod sacramentum hoc in voto suscipiatur, quia hoc factus est, vt homo fiat viuum Christi membrum, & vnatur illi, & corpori eius, quod est Ecclesia: hoc (inquam) non placet, quia illa unio est merè spiritualis, & non fundatur in reali coniunctione corporis Christi cum nostro: & ideo non potest vocari corporalis, & naturalis: quia per votum sacramenti non est corpus Christi verè, ac naturaliter intra nostrum, quare illa unio non est propriè effectus sacramentalis huius sacramenti, qui, vt sæpe dixi, non datur ex solo voto, sed ex reali vsu. Quod sic facile explicatur, quia ille specialis titulus, quo caro nostra manet sub protectione Christi, quia carni eius commissa fuit, & illa moralis habitudo, quæ ex hoc contactu relinquitur, non intelligitur esse in eo, qui solo voto Christum suscepit. Sicut igitur sacramentales effectus proprii huius sacramenti, quatenus tales sunt, non dantur, nisi per realem vsum eius, ita neque ista unio aliter perficitur, quia, reuera, per hanc unionem nihil aliud explicatur, quam ipsa realis susceptio sacramenti cum suis effectibus. Quod etiam explicari potest illo exemplo matrimonij, quia vir & vxor propriè & perfectè non efficiuntur vna caro, donec re ipsa, carnaliter commisceantur, vt latius in materia de matrimonio tractatur. Quod si quis dicat, etiam per solum vinculum matrimonij fieri aliquo modo vnam carnem, quia accipiunt ius ad communionem carnalem: præterquam quod id improprè dicitur, quia illud vinculum non est carnale, sed morale, tamen illo admisso, & ad præsentem materiam illud applicando, talis seu proportionalis unio inter nos & Christum, non fit per hoc sacramentum, sed per Baptismum, per quem accipimus ius ad corporalem unionem, quæ fit in hoc sacramento. Ex quo tandem infero, quod, licet ex hac vnione optimè & à fortiiori, colligatur vnitas corporis mystici cum Christo, & membrorum eius inter se, quomodo videtur argumentari Paulus. 1. ad Corinth. 10. iuxta Sanctorum interpretationem supra traditam, quam ibi Haymo latius explicat, & attingit Theodor. tam ibi, quam ad Ephel. 5. non tamen è contrario necessaria est hæc sacramentalis, vel corporalis unio ad unionem mysticam Ecclesie, & membrorum eius cum Christo & inter se, quia ad hanc sufficit unio omni-

no spiritualis, quam includit, & speciali modo causat realis & condigna susceptio huius sacramenti: addit verò aliquid pertinens ad specialem gratiam sacramentalem, quod simpliciter necessarium non est, ad constituendum membrum Christi viuum, corpori eius specialiter coniunctum, vt constat de omnibus iustis, qui ante institutionem huius sacramenti fuerunt, atq; etiam de illis, qui sine reali vsu huius sacramenti salui facti sunt, & maxime, si nec Baptismum re ipsa susceperunt. Et hæc sint factis de locutione potius mystica, quam omnino propria & rigorosa.

DISPUTATIO LXV.

De adoratione huius sacramenti debita.



Actenus doctrinam speculatiuam ad hoc Sacramentum pertinentem, prosecuti sumus: reliquum est, vt partem moralem aggrediamur, quæ versabitur circa actus: quos non circa hoc sacramentum exercere possumus, aut debemus, propria enim materia moralis doctrinæ sunt actus humani: hoc autè sacramentum, vt sæpe diximus, prius in suo esse constituitur, quam ad vsum applicetur. Vnde fit, vt duobus modis possimus nos circa illud operari: prior est, exercendo aliquos actus circa ipsum sacramentum, prout in se existit ante vsum: posterior est, vtendo ipso sacramento. Et hunc posteriorem modum profectus est D. Thom. tota q. 80. priorem verò prætermisit, propter hanc fortasse causam, quia ille modus operandi non potest esse, nisi per aliquos actus religionis seu cultus: de quibus non videbatur hic necessaria specialis disputatio, quia suppositis principijs generalibus de adoratione, Christo Domino, & rebus sacris debita, supra q. 25. traditis, & supposita veritate realis præsentie Christi in hoc sacramento, nihil noui de hac re superesse videbatur. Nihilominus tamen ad huius materie complementum, necessarium est, hanc breuiem disputationem præmittere: tum, vt hæreticis huius temporis satisfaciamus: tum, vt generalia principia ad præsentem materiam distinctius applicemus.

SECTIO I.

Vtram licitam, vel præceptam sit, Eucharistiam adorare.

Hæretici, qui negant realem Christi præsentiam, Hæresis est idololatria scelus esse dicunt, cultum aliquem huic sacramento tribuere, præsertim latræ. Nonnulli etiam negant, etiam si Christus in eo adsit, esse adorandum, quia non est adorandus, nisi vbi ipse vult adorari: nunquam autem nos docuit, vt in Eucharistia eum adoraremus: nec legimus Apostolos in nocte cenæ panem aut calicem, quem Christus eis porrexit, adorasse. Alij vero ex hæreticis solum negant hoc sacramentum ante vsum debere adorari, quia negant præsentiam Christi in illo esse permanentem, sed tantum in ipso vsu, atque damnant cultum, quem Ecclesia præbet huic sacramento, vel in missa, quando statim post consecrationem eleuatur, & populo adorandum proponitur, vel quando in processibus circumgestatur, & colitur: vel quando eadem in pyxide conseruato reuerentia exhibetur. Vltima sententia esse potest, mente discernendum esse Christum à sensibili signo: & Christum quidem adorandum esse, non tamen sacramentum, quia species illæ sunt res creatæ, & inanimæ, & consequenter incapaces adorationis, neque enim factis est, vt Christus sub illis sit, quia etiam Deus est in anima tanquam in templo suo, & tamen adoratur Deus, & non anima.

Dico primo: Christum in hoc sacramento existentem non minori veneratione, ac cultu dignum esse, quam si in propria specie clarè, & sensibilibiter ibi conspiceretur. Hæc assertio est de fide, quam definit Conq.

Christus adorandus est in Eucha-

Conq.

*riffia, sicut
si in propria
specie viae
reitur
Trid. 8.*

Cone. Trident. sess. 13. c. 5. & Can. 6. & in eius confirmacionem adducit; Christum esse in terris adoratum, & ab Angelis, ad Hebr. 1. & ab hominibus, Matth. 2. & 28. Lucae. 24. & Ioan. 6. atq; etiam in caelis, Apoc. 7. & 7. subdit autem Concilium, eandem esse rationem de Christo existente in hoc sacramento, quia eadem est eius excellentia, eadem maiestas. Differentia autem in modo existendi naturali, vel sacramentali, sensibili aut insensibili, nihil refert, quia adoratio non nititur sensibus, sed fide, alioquin nec Deus ipse esset adorandus, quia non clarè à nobis videtur, sed tantum creditur. Nam, quod haeretici aiunt, Christum non esse adorandum, nisi ubi ipse vult adorari, si intelligant, necessarium esse, vt Dei voluntas speciali praecepto, aut reuelatione nobis manifesta sit, vanum est, & contra omnem Scripturam & rationem: Magis enim ubi habuerunt speciale praeceptum, vel reuelationem, vt Christum in praesepse adorarent, nisi ubi intellexerunt, & crediderunt ipsum esse Deum, ac Regem suum? Et idem est dicendum de coeco, qui à Christo illuminatus proci- dit, & adorauit ipsum, & de ceteris similibus. E ratio generalis est, quia ex diuina & naturali lege tenemur Deum colere, & sancta sanctè tractare; ergo, posita fide ac reuelatione, Christum verum Deum ac summè sanctum hic adesse, non est noua reuelatio necessaria, vt adorandus sit. Quapropter merito Sancti omnes ex reali praesentia Christi colligunt adorationem, & è conuerso nos supra à posteriori argumentantes, ex perfecta adoracione & laetitia, quae Christo in hoc sacramento tribuitur, illius realem praesentiam probauimus, vbi multa ex sanctis Patribus adduximus, quibus addi possunt Chryso-
*Chryso-
homil. 61. ad populum 53. in Matth. 24. & 1. ad Corin-
th. Cyrillus Hierosolym. Carech. 5. mylag. Acce-
de (inquit) pronus, adoracionis in modum, & venerationis, & Damascenus lib. 4. cap. 14. dicens, Venera-
mus ipsum, tum animam, tum corporis puritate. Idè
Eusebius Emilsen. homil. 5. de paschate. Et August. de
consec. d. 2. Nos autem (inquit) in specie panis & vini,
quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem &
sanguinem honoramus: & in Concione 1. super Psal.
21. tractans illa verba, Adorate scabellum pedum eius,
quoniam sanctum est. Et confirmat ex antiquo
ritu & consuetudine Ecclesiae eleuandi hostiam flatim
post consecracionem, nam licet ea caeremonia
mysticam etiam habeat significacionem vel moralem:
potest enim significare, vel eleuacionem Christi in cruce,
vel resurrectionem, aut ascensionem eius, vt signifi-
cat Concil. Ephesin. in epist. ad Nestorij, & August.
serm. 28. de verbis Apost. potest item significare inter-
num cultum, & eleuacionem mentis ad Deum, quomodo
etiam in lege veteri oblata eleuabantur super altare
coram Deo. Exod. 23. Leuit. 8. Nū. 5. licet haec (inquam)
vera sint: tamen propria & literalis ratio huius actionis
est, vt populus fidelis, qui credit statim post consecracionem
Christum hic adesse, ipsum adoret, vt constat ex omnibus
Liturgijs, & ex Dionys. de Eccles. Hierar. c. 3. part. 2. Pontifex
(inquit) augustissima mysteria conficit, & quae ante laudauerat, in apertum agit,
diuina munera reuerenter ostendens. & Basil. lib. de
Spiritu sancto, c. 27. inuocationis verba, cum ostenditur
panis Eucharistiae, & poculum benedictionis, quis
Sanctorum in scripto nobis reliquit? Vbi docet esse
tradicionem non scriptam, non solum venerandi,
sed etiam orandi, & inuocandi Christum in Eucharistia,
quando à Sacerdote eleuatur. Et ad hanc consuetudinem
alludit Chryso-
*Chryso-
hom. 36. in 1. ad Corin-
th. homil. 3. ad Ephes. homil. 61. ad populum, cum ait,
Cum vela videris retrahi, tunc superne caelum aperiri
cogita, pluraq; alia de hac eleuacione, & adoracione
erudite congerit Durandus lib. 2. de ritibus Eccl. c. 40.
Huc etiam spectat, quod Sancti dicunt, ad
verba consecracionis caelos aperiri, & Angelorum
multitudinem ad Christum adorandum descende-**

re, vt videre est in Gregor. 4. dialog. cap. 58. Chry-
stomus libro 6. de Sacerdotio, Ambrosius circa id
Lucae 1. Apparuit ei Angelus. Augustinus libro de cor-
pore Christi, vt Magister citat in 4. distinctio. 13. In-
nocentius lib. 2. de hoc myst. c. 24. & lib. 5. c. 6. deni-
que idem confirmat alia traditio Ecclesiae, quam pra-
manibus habemus, eiusq; initium ignoramus, quod
scilicet, omnes, qui communicaturi sunt, prius ado-
rent Christum in hoc sacramento, quod factum sem-
per legimus in omnibus liturgijs, Iacobi, Basilij, &
Chryso-
stomi, & apud Augustinum, & alios Patres
supra citatos. Neque oportet, vt rationem aliam hu-
ius assercionis adiungamus, quoniam à Concilio
Tridentin. satis explicata est.

Dico secundo: Non solum Christus sub speciebus
existens, sed etiam totum sacramentum visibile, vt
ex Christo & speciebus constat, vnicò latine actu
adorandum est. Conclutio est certissima, quae impi-
mis probatur ex vñ Ecclesiae, quae absolute totum
sacramentum adorat, vnde etiam canit, Tantum er-
go sacramentum, veneremur cernui. Et Concil. Vi-
ennen-
se. in Clem. vnica, de reliquijs & vener. Sancti.
inter alia inquit, O adorandum ac reuerendum excel-
lentissimum sacramentum: & Trident. non sub no-
mine Christi, sed sacramenti docet, adorandum esse
hoc sanctissimum sacramentum, & Alex. Papa epist.
1. c. 4. sub nomine oblationis loquens de hoc sacra-
mento, dicit, Puramente sumendam esse, atq; ab om-
nibus venerandam, & sicut potior est ceteris: ita po-
tius excoli, & venerari debere. Optime Cyp. serm.
de coena Domini. Sicut in persona Christi humanitas
videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramentum
visibile ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt ef-
feret religioni ad sacramenta deuotio, & ad veritatem,
cuius corpus sacramenta sunt, syncerior patere ac-
cessus. Et Euseb. Emilsen. hom. 5. de paschate. Vt co-
leretur (inquit) per mysterium, quod semel offerre-
batur in pretium. August. epist. 118. serm. 28. de verbis
Apost. hoc vocat caeleste ac venerabile sacramentum,
& 20. contra Faust. c. 13. vocat hoc sacramentum reli-
gionis, cui longe diuersus cultus debetur, quam com-
muni pani aut vino. Item Ambr. 4. de sac. c. 4. De co-
elo (inquit) ista sacramenta venerunt, &c. Et similia
multa legi possunt in Patribus supra citatis, quae Ga-
briel & alij per Synecdochen interpretantur: per sa-
cramentum intelligendo Christum, qui est res & sacra-
mentum: quia est id, quod est praecipuum in hoc sa-
cramento, sed, cum possint proprie & simpliciter ve-
rificari, non oportet ad metaphoras recurrere, praeser-
timum cum ex illo metaphorico sensu facile colligi
possit, quod intendimus. Ratio ergo huius assercionis,
partim ex dictis de substantia sumenda est: diximus
enim hoc sacramentum esse vnum quid ex Christo
speciebus coalescens: ergo hoc totum sacramen-
tum potest vno actu adorari: quo primò & per se ad-
oretur Christus, qui est vnicum suppositum huius
sacramenti, ad quod per se tendit adoratio: coadun-
tantur autem species, tanquam Christo coniunctas,
& cum illo vnum componentes. Quod exemplis de-
claratur: diximus enim in materia de adoracione,
quando adoratur persona Imperatoris, coadunantur
thronus vel purpura eius: imò per vestem vel calceum
adorari personam: quia licet intentio adoracionis
prius tendat in personam, tamen actio adorandi
praesertim externa, saepe immediatius versatur circa
vestem: quia de osculando, personam veneratur,
maior autem coniunctio vel habitudo, est in hoc sa-
cramento inter Christum & species, quae sunt vesti-
thronus, in quo Christus continetur, seu quati vesti-
mentum, quo regi voluit. Quae ratio locupletari po-
test ex multis, quae de venerando tactu, & osculatio-
ne Eucharistiae cum reuerentia & timore, tractat
Chryf. hom. 5. in Mat. 45. in Ioan. 20. in 1. ad Cor. Cor. Gre-
gorian. Nazianz. orat. de forore Gorgonia, Petrus Chrysol.
serm. 33.

serm. 33. & 34. & alia videri possunt apud Claud. re- per. 9. c. 6. vbi ad tuendam hanc conclusionem fin- git, species non habere diuersam existentiam ab exi- stentia corporis & sanguinis Domini. Sed hoc falsum est, vt ex superioribus constat, si in rigore intelligen- tur; & non est necessarium, quia ad prædictam coad- orationem specierum sufficit vnio accidentalium seu sacramentalium supra explicata, vt ex adductis exem- plis, à fortiori probari potest. Neq; existimo, prædic- tum authorem in metaphysico rigore esse locutum, sed dixisse, species non habere aliam existentiam, quia non habent aliud suppositum, à quo sustententur, præter Christum.

Dico tertio, hoc sacramentum non tantum interi- ori, sed etiam exteriori & visibili cultu, esse ado- randum. Hæc assertio est æque certa ac præceden- tes, & sequitur ex illis. Et ratio sumi potest primo, ex parte rei, quæ adoratur, quæ quodammodo constat ex re sensibili & insensibili: nam, licet Deus, qui om- nino spiritalis est, possit non solum spiritu, sed etiam corpore adorari: tamen maiori quadam rati- one, ac proportione id conuincitur, quando res, quæ adoratur, habet aliquo modo speciem visibili- lem, & interius latentem excellentiam inuisibilem. Secundo, ex parte hominum adorantium, qui animo & corpore consistunt: & ideo animi & corporis actibus colere debent hoc sacramentum. Tertio hoc constat ex vsu & traditione Ecclesiæ, de qua legi pos- sunt citati Patres, præsertim Chrysost. homil. 7. 19. & 52. in Matthæ. & 21. in Acta, & 24. in 1. ad Corin- thios. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 5. mysta- gog. & Dionysius capitul. 3. de celest. Hierarch. Iacobi, Basil. Chrysostomi, in Liturgiis, & quæ piè satis ordinat Honorius III. in capitul. Sanc. de Celebratione Missarum. Vbi Sacerdotibus mandat, vt Euchari- stiam honorifice tractent, & plebem doceant, vt, eû in Celebratione missarum eleuatur hostia salutaris, reuerenter inclinent, idem faciens, cum eam desert Presbyter ad infirmum. Et postea præcipit, quo cultu & honore deferenda sit Eucharistia ad infirmos. Hoc vero obseruandum est, quod in materia de ado- ratione diximus, actiones, vel gestus corporis, quib. exterior hic cultus deferri solet, de se indifferentes esse, & ex intentione interna vel impositione, aut com- muni vsu pendere. Hoc ergo est etiam in præfenti ex- terna adoratione obseruandum. Nam pro varietate consuetudinum diuersi sunt ritus colendi hoc sacra- mentum, ad cauendam autem superstitionem, & in- decentiam, publice seruanda est vniciuisq; Eccle- siæ consuetudo: secrete vero vnusquisq; illis actibus vti potest, qui & nullo modo indecetes sint, & ad hu- militatem & reuerentiam ostendendam, & vnici- que ad deuotionem excitandam accommodati vi- deantur.

Et ex hac conclusione colligitur, laudabilem esse Ecclesiæ consuetudinem, quæ hoc diuinum sacra- mentum publice interdum proponit, vel circumfert per vias, & loca publica cum solemnibus pompis, cultu, ac veneratione. Ita docet ac definit Concilium Tri- dentinum, sessione decima tertia, capitulo quinto; & Canon. sexto, vbi huius consuetudinis optimas rati- ones insinuat, prima: Vt Christiani homines singu- lari ac rara quadam significatione gratos, & memores teneantur animos erga communem Dominum: cuius rei, & figuram, & exemplum habemus 2. Regum 6. & 7. vbi Dauid iudebat coram arca Domini, quando totus populus solemnibus pompis illam circumducebat. Et simile prorsus exemplum habemus in tertio libro Regum, capite octauo. Secundo ait Concilium hoc diuino beneficio, mortis CHRISTI victoriam, & triumphum repræsentari: indicans, quando Ecclesia Catholica publica deuotione ac læ- titia hoc admirabile sacramentum Eucharistiæ coli- ac veneratur, gaudere & quasi triumphalem diem agere pro gloriosa victoria, quam CHRISTVS Franc. Suarez Tom. 3.

Dominus de inimicis reportauit. Tertio, inquit, oportu- iusse victicem veritatē, de mendacio & hæresi triū- phū agere, vt eius aduersarij in conspectu tanti splē- doris, & in tanta vniuersæ Ecclesiæ læticia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & cō- fusi aliquando resipiscant. De qua re optima figura legi potest, Iosue cap. 6.

Secundo ex dictis facile intelligi potest, quomodo hæc adoratio in præceptum cadere possit. Hactenus enim solum explicatum est, quam sit sancta, & laude digna. Duplex ergo præceptum hic intelligi potest, negatiuum scilicet, & affirmatiuum. Negatiuum præcepto prohibemur iniuriam aliquam aut irreuerentiam huic sacramento irrogare: & hoc præceptum naturale est, & diuinum; Nam intrinsece malum est, rem honore dignam irreuerenter tractare. Hoc autem præceptum explicatur in particulari in multis decretis iuris canonici, quæ prohibent, aliquid indecens agere circa hoc sacramentum; vel immedie, vt effundendo, vel proiciendo in terram, vel ita incaute custodiendo, vt vel corrumpi possit, vel à muribus comedi, vel ab hostibus fidei conculcari; vel immedie, vt irreuerenter tractando, vel im- munde, vasa, aut vestes, & res alias ad cultum huius sacramenti deputatas, de qua re legi possunt multa, quæ habentur extra, de celebrat. missar. & de custod. Eucharist. & de consecrat. distinct. 1. & 3. præfer- tim in capit. Si per negligentiam, & cap. Si quis per ebrietatem, & capit. Qui non bene. In quibus non- nulla pœna imponuntur his, qui aliquid negligenter vel irreuerenter egerint contra hoc sacramen- tum, quæ nec fere sunt in vsu, neque incurruntur ex obligatione, donec à superiori imponantur, cuius prudētis arbitrio commissa feriam est huiusmodi pœna, vt D. Thom. infra significat, quæst. 83. art. 6. ad 7.

Affirmatiuum præceptum erit; exhibendi interdum honorem aliquem huic sacramento. De quo præcepto non est dubium, quin sit nobis impositum: consequitur etiam ex natura rei, ex institutione hu- ius sacramenti, quod nobis datum est, vt illud tractemus, & eo vtamur, hinc enim fit, vt pro illius dignitate & maiestate tractandum sit. Ex quo facile intelligere licet, quando obliget hoc præceptum, cū enim affirmatiuum sit, licet semper obliget, non ta- men pro semper, sed tempore opportuno. Illud autem præscribi potest: Primo in generali, quandocun- que talis occurrit occasio exhibendi honorem, vt eam prætermittere sit quidam virtualis contemptus, & moraliter existimetur irreuerentia quædam, & nõ pura negatio, sed priuatio seu omisio, aut oblatio honoris debiti, quod humano exemplo explicari potest: quia, licet non teneamur semper Regem hono- rare, tamen si præfens nobis fiat, vel cum eo loquive- limus, & nullam ei reuerentiam exhibeamus, merito censetur in honoratio quædam: multo ergo maiori ratione quippiam simile in hoc sacramento repe- ritur, vt omittam rationem scandali, quæ semper adiungitur, si publice in huiusmodi opportunitate adoratio omittatur; imo si frequenter id fiat, sus- picionem possit alicuius infidelitatis vel erroris gene- rare. Secundo ex hoc generali principio possumus in speciali, aliqua tempora designare; primū ac præ- cipuum est, quando accedimus ad sacrificandum, vt est per se manifestum; tum quia ille est perfectissimus actus exterior religionis, & supremus Dei cultus; tum etiam, quia illa actio est maxime sacra, quæ circa hoc sacramentum exerceri potest. Secundum simile huic est, quandocunq; fideles ad communicandum acce- dunt, vt rationes factæ, & Ecclesiæ consuetudo pro- bant. Tertium est, quando hoc sacramentum ab Ec- clesia proponitur adorandum, vt quando eleuatur in missa, vt significatur in dicto cap. Sanc. de celebr. missar. ex quo colligitur, hanc esse Ecclesiæ intentio- nem. Et ratio facta idem probat, quia tunc est tempus

Ommestenditur præcepto ad non tra- andam Eu- charistiam irreuerentior.

D. Thom.

Præceptū af- firmatiuum est de honore aliquo Eu- charistiæ ex- hibendo.



QVÆSTIO LXXX.

De usu, seu sumptione huius sacramenti in communi, in duodecim articulos diuisa.



Emde considerandum est de usu, seu sumptione huius sacramenti.

Et primo quidem in communi; secundo, quomodo Christus sit vsus hoc sacramento.

Circa primum queruntur duodecim.

Primo, vtrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter.

Secundo, vtrum soli homini conueniat manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Tertio, vtrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.

Quarto, vtrum peccator manducans sacramentaliter, peccet.

Quinto, de quantitate huius peccati.

Sexto, vtrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimo, vtrum nocturna pollutio impediatur hominem a sumptione huius sacramenti.

Octaudo, vtrum sit solum a iuuenis sumendum.

Nono, vtrum sit exhibendum non habentibus vsu rationis.

Decimo, vtrum sit quotidie sumendum.

Vndecimo, vtrum liceat omnino abstinere.

Duodecimo, vtrum liceat percipere corpus sine sanguine.

ARTICVLVS I.

Vtrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter. Sicut enim baptismus d. 9. ar. 1. q. 1. est spiritualis regeneratio (secundum illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.) ita etiam hoc sacramentum est spiritualis cibus: vnde Dominus de hoc Sacramento loquens, dicit Ioan. 6. Verba, que ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet, sacramentalis, & spiritualis. Ergo nec, circa hoc sacramentum debet hoc distinctio adhiberi.

2. Præterea, Ea, quorum vnum est propter alterum, non debent ad inuicem diuidi; quia vnum ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spirituales, sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spirituales diuidi.

3. Præterea, Ea, quorum vnum non potest esse sine altero non debent contra se diuidi. Sed videtur, quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter manducet: alioqui antiqui Patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent: frustra etiam esset sacramentalis manducatio corporis Christi: si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur conuenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio scilicet, sacramentalis & spiritualis.

Sed contra est, quod super illud 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indigne, &c. dicit Gloss. * Duos dicimus esse modos manducandi, vnum sacramentalem, & alium spirituales.

Respondeo dicendum, quod in sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda, scilicet, ipsum sacramentum, & effectus ipsius: de quorum vtroque, iam supra dictum est. Quæ præcedit Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum, est, quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod percipit eius effectum: contingit autem quandoque, (sicut supra dictum est) quod aliquis impediatur a percipiendo effectum huius sacramenti. Et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta.

V u u 2

perfecta.

formaliter vero tota adoratio refertur in Christum. Tertio probatur conclusio ex consuetudine omnium fidelium, qui simpliciter ita adorant, & aliud ab eis exigere, esset & inutile, & vanis scrupulis, ac superfluitatibus expositum. Vnde colligo, hunc adorationis modum non solum esse licitum, sed etiam expedientem, & omnino seruandum. Neque enim est prudentiæ consentaneum, ibi trepidare, vbi non est, nec probabilis ratio timendi, nec vtilitas, sed potius periculum, ne ex hac conditione, & dubitatione, animi deuotio minuatur. Vnde aliquibus videtur, non solum non expedire, verum etiam nonnullum peccatum esse, talem conditionem sine speciali causa vel necessitate ponere, quia est actus otiosus, & impertinens scrupulis. Certum est tamen, per se loquendo, non esse graue peccatum, quia nec continet errorem, nec temerarium iudicium, aut suspensionem de facto, sed solum de possibili. Neque grauem irreuerentiam, aut nocuentum infert, vnde si bona fide, & intentione fieret, facile etiam posset a veniali culpa excusari, semper tamen consulendum & cauendum est, ne ita fiat.

Dixi autem, per se loquendo, & seclusis specialibus circumstantiis. Quia si ex accidenti occurrat aliqua probabilis ratio dubitandi de veritate sacramenti, vel ex parte materie, vel ex parte ministrum, quæ talis sit, vt prudenter considerata sufficiat ad formandum vehementer dubium, vel suspendendum assensum, tunc non est adorandum sacramentum sine explicita conditione, propter rationem superius factam: vt, scilicet, excludatur omne periculum adorandi purum panem, aut vinum: sicut quando alicui apparet, vel apparere videtur Christus in reuelatione aliqua, quamdiu res est dubia, non est absolute adoratio exhibenda, donec de veritate reuelationis, moralis certitudo habeatur. Item, quia operatio humana, vt prudens sit, debet excludere morale dubium & niti in morali certitudine, quoad fieri possit: in prædicto autem casu non potest haberi moralis certitudo ad exhibendam absolutam adorationem, posita autem conditione, præctice tollitur omne periculum, & omne dubium: ergo in eo casu adhibenda est.

Sed quæret aliquis: si contingat, quando aliquis prudenter & absolute adorat hostiam, reuera, non esse consecratam, an ille actus sit vera latria, vereque procedat a virtute religionis? videtur enim non esse: quia ille actus in re ipsa non terminatur ad Christum, nec ad Deum: ergo non est vera latria, neque actus religionis. Item quia repugnat fidei, subesse falsum: ergo & religioni infusa, quæ a fide mouetur ad Eucharistiam adorandam. Respondetur nihilominus, illum actum esse moraliter bonum & honestum, quia procedit ex motu honesto, & per prudentiam regulatur, vt suppono: vnde fit, esse latriam & actum religionis: quia non est alia virtus, ad quam pertineat, & quia proficitur ex motu, & honestitate religionis, atque eadem ratione esse potest a virtute infusa, si procedat ex motu supernaturali seu conformitate ad supernaturalem regulam. Sicut, quando quis dat elemosinam homini petenti nomine Christi, ex misericordia infusa operatur, si prudenter existimat illum esse pauperem, quamuis speculatiue decipi contingat. In quo est magna differentia inter fidem, & virtutem moralem: quia fidei veritas est speculatiua, & consistit in conformitate intellectus ad rem, virtus autem moralis immediate regulatur per prudentiam, cuius veritas est practica, & versatur circa iudicium de re facienda secundum præsentem circumstantiam, quod iudicium practice potest esse verum, quamuis aliqua falsitas speculatiua in materiali persona seu obiecto, misceatur.

Franc. Suarez. Tom. 3.